

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0198


0196

0202

0192

0207

turbarent, singulariter tamen de me timor erat, quia solus peregrinus eram et cruce signatus, et sine salvo conductus. Nullus tamen se movit contra nos, sed cum pace super margines trium piscinarum ascendimus. Demum derelictis piscinis convertimus nos ad dextram, et sursum per clivum ascendimus et in campestrem regionem venimus plenam agris, in quibus triticum hoc anno messum fuerat. In illo campo inter sepes occurrit nobis unus vagus Arabs cum spatha et lancea et in via se nobis opposuit prohibens nos transire, quo usque pedagium sibi debitum solveremus. Dicunt enim Arabes, quod omnes viatores sint eorum debitores et quod omnes teneantur ad solvendum stipendia. Unus autem de fratribus mecum existentibus dixit sibi lingua arabica, quod essemus pauperes et nulli debitores. Ille autem Arabs digito me demonstrans dixit: etsi vos duo estis pauperes, ille tamen cum cruce est peregrinus et hospes patriae et tenetur mihi ad pedagium solvendum. Et hoc dicto accurrit ad me, et arripuit frenum aselli mei, cogere me volens ad solvendum. Sed frater ille atrociter contendebat cum eo et minabatur sibi, si me citius dimittere nollet, in vallem descendere vellet ad dominos operum praefectos et contra eum querimonias facere. Hoc ut audivit Arabs, dimisit me et fugit a nobis. Porro in medio campo vidimus unam ecclesiam, ad quam properavimus, et est ecclesia sancti Georii martyris. Ingressi autem ecclesiam in ea orationes fudimus, et indulgentias septennes (†) accepimus. Ad latus ecclesiae hujus quondam fuit pulchrum et grande monasterium Cologerorum, sed modo est destructum usque ad parvum tugurium, quod ecclesiae adhaeret, in quo duo degunt monachi graeci. In hoc loco fuit sanctus Georius martyr et miles captus et catenatus pro fide Christi; venerat enim de Cappadocia in Syriam, ubi draconem interfecit juxta Barutum et de illo loco hue in Judaeam profectus est ibique captus, et inde in Lyddam ductus, ubi martyrio fuit consumtus, ut patet supra fol. 84 B. Juxta ecclesiam est locus petrosus, ubi rupes durissima et lata jacet, in qua ostenderunt nobis duo illi monachi impressa equi vestigia, ac si petra aliquando mollis fuisset et equi transeuntis vestigia receperisset. Dicunt autem, quod illa vestigia sint per equum S. Georii miraculose saxo



Ende

Anfang